

DISPUTATIO
PRAE DESTINA-
TIONE,

Quam
D eo F autore & A uspice

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & Clarissimi Viri

M. JOANNIS ELAI TER SERI

S. S. Theologiae Professoris in Regia Aboën-
sium Academia celeberrimi,

Præceptoris & Fautoris sui æternum honorandi,

Ad diem 10. Martij Anni 1644.

Publicè examinandam proponit

JACOBUS SIGFRIDI VVASENIUS.



A B O È,

Excudebat Petrus Wald Acad. Typogr. 1644.

*Exditionem quicunque ac morigerant
yraff: viro Dño Jacobo Brug
fautorj & amico deinceps
norando, has mittit reponendo*

Nobiliss: stemmatis, ingentisq; animi Generosissimo Heroi ac Domino.

DN. JOHANNI Knyle/

De Fröfuna/ &c. Chiliarcho strenuiss: per universam Bothniam Orientalem Gubernatori Eminentiss: Uhlæ & Cajanæburgi Castellano meritissimo, Patrono & Benefactori suo, summè gratioſo.

Et

Reverendiss: in Christo Patri & Domino

DN. M. ISAACO B. ROTHOVIO,
inclytæ Dioceſeſ Aboënsis Episcopo dignissimo, & Reg:
Ibidem Acad. Procancellario ampliss: Theologo ce-
leberrimo, Mecænati & Promotori suo omni ob-
ſervantiaſ cultu jugiter honorando.

Nec non

Reverendis, Authoritate, doctrinâ & pietate preſtantiss: Viris,

Dn: M. Erico Fortelio, Dn: M. Thomæ Florino,
Past: & Præp: Pedersörensi me- Waza Muſſaarenſium, Past: &
ritissimo, & Both. Eccl: Inspector | Præpoſito dignissimo.
dex terrimo.

Dn: Sigfrido Olai, verbi Dei Ministro in Eccl: VVazense
indeſeo, Parenti ſuo omni filiali honore & reverentiā perpetim
ſufficiendo.

Dn: Patronis, Mecænatibus, Fautoribus, Promotoribus & Evergetis, in gratæ
mentis documentum, & ulterioris favoris ſpem, exercitium hoc Academi-
cum reverenter & submiſſe

offert & dedicat.

Respondens.

De
P R A E D E S T I N A T I O N E.

T H E S I S I .

P Rædestinationis significatio colligitur ex significacione verbi *destino*, quod apud Latinos autores tria imprimis significat, 1. Mittere, ut Svet. in Galba, statim, inquit, legationem destinarunt, i.e. miserunt, 2. Decerne-re, sive animo apud se constituere, sicut de Cæsare dicit idem Svetonius; in dies plura aut majora de ampliando imperio destinabat, 3. Deputare, sicut Virgilius hac voce utitur Æn. 2. & me destinat aræ,

II.

Juxta has significationes verbi simplicis, etiam prædestinationis tres, quantum ad hanc rem, habet significatio-nes: Nam 1. Significat decretum Dei de mittendo Filio & dicitur prædestinationis Christi, 2. accipitur pro decreto Dei, quo nos in Christo elegit ad vitam æternam, 3. Latius accipitur, ut extendatur etiam ad decretum Dei de condemnandis incredulis. Ad primam acceptiōnem pertinent loca *Act. 4:28.* & *Rom. 1: 4.* Quo sensu etiam elec-tio accipitur, *Matth. 12:18. ex Ej. 43:10.* Secunda est propriissima & in sacra scriptura maximè familiaris. Tertia apud Patres nonnullos est usitata, quo sensu S. Augustinus dicit societatem malorum prædestinationis esse subire suppli-cium cum Diabolo. De C. D. lib. 15; cap. 1. Sed hæc accep-tio in S. rā nusquam reperitur. Secunda autem acceptio hujus est loci.

III.

Cæ terum cùm in prædestinatione propriè sic dicta

duo spectentur, alterum *gloria* seu vita æterna, ad quam prædestinantur quicunq; prædestinantur, alterum *gratia* seu dona illa supernaturalia fidelibus collata, quorum beneficio ad gloriam illam perducuntur, quæri potest an prædestinationis nomine hic intelligatur prædestination ad gratiam, an ad gloriam, an verò ad utramq;.

IV.

Augustinus certè per prædestinationem intelligit gratiæ præparationem, seu *præparationem beneficiorum Dei*, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur, i. de bono persever. c. 14. Alii per prædestinationem intelligunt electionem fidelium ad vitam æternam. Alii deniq; prædestinationis nomine electionem intelligunt ad gratiam & ad gloriam.

V.

Prima acceptio distinguit inter prædestinationem & electionem, statuens illam esse decretum Dei de conferendis donis gratiæ, quibus prædestinati perducuntur ad vitam æternam, hanc verò directionem prædestinatorum per illa dona ad gloriam. Secunda acceptio, ut & tertia prædestinationem & electionem pro uno eodemq; habent.

VI.

Et certè scriptura quoties de prædestinatione filiorū Dei agit, semper prædestinationem intelligit ad gratiam, quin & electionem ad gratiam factam esse docet Paulus Eph. 1:4. *elegit nos, inquit, in ipso, ut essemus sancti & inculpati.*

VII.

Verum enim vero, cum prædestinatione illa seu electio ad gratiam, non de ijs propriè dicatur, quib; dona gratiæ in eassum conferuntur, sed de solis iis, qui per dona illa vitam æternam consequuntur, ideo per prædestinationem utrumq; intelligimus, præcipue tamen electionem ad gloriam

riam & ideo inter prædestinationem & electionem nullum discrimen agnoscimus, sicut neq; scriptura ullum agnoscit.

VIII.

Dicitur a. Prædestination hæc alias Electio, *Rom. 9:5.* ordinatio ad vitam æternam *Act. 13:48.* beneplacitum voluntatis Dei, *Eph. 1:5.* propositum Dei, *v. 11.* item consilium voluntatis ejus v. eod. præscientia quoq;, *Rom. 11:2.* quamvis accurate loquendo, quò ad signa rationis, hæc posteriora ab ipsa predestinatione distinguantur, ut postea liquerit.

IX.

Differt autem à Providentia, ut species à genere, cum enim providentia sit directio cuiuscunq; creature ad suum finem per media, etiam prædestinationem sub providentia comprehendi constat, cum per eam rationalis creature dirigatur ad supernaturalem finem, æternam beatitudinem, per supernaturalia media. Itaq; inter providentiā & prædestinationem hoc interest, quod illa versetur circa creature omnes, hæc circa Angelos & homines tantum.

2. illa respicit naturales etiam fines, hæc supernaturales tantum, 3 Prædestination includit præscientiam conditionatam, providentia non item. Per conditionatā a. præscientiam intelligimus eam, qua Deus ab æterno prævidit, non quid absolutè futurum sit, sed quid futurum sit sub hac vel illa conditione. Unde quarta emergit differentia, quod providentia interdum fine suo frustretur, prædestination nunquam. Cum enim providentiæ sit media ordinare, quibus rationalis creatura uti vel non uti, imo etiam abuti possit, sit ut finem illa non semper assequatur, Prædestination verò, cum præscientiam involvat conditionatam, quæ fidem seu obedientiam respicit, semper finem suum assequitur.

X.

Differt prædestination hominū, à prædestinatione An-

gelorum, qui etiam electi dicuntur, *i. Tim. 5:21.* non fine, quidem: utriusq; enim est vita æterna, sed mediis: Angeli enim (boni scil.) per observationem mandatorum ad vitam sunt prædestinati; homines verò per fidem in meritum Christi. Nos autem hic non de Angelorum, sed hominum prædestinatione agere decrevimus^o.

XI.

Differt deniq; prædestination à præscientia, quod hæc denotet simplicem tantum rerum notitiam, non causam; prædestination verò vera est causa salutis electorum. Deinde præscientia concernit tam malos quam bonos, imo universas creaturem, prædestination verò tantummodo est Filiorum Dei.

XII.

Potest a. Prædestination in hunc modum definiri, quod sit decretum sive actio voluntatis Dei, qua ex mera gratia ante jacta fundamenta mundi, secundum beneplacitum suum quod proposuit in se, intuitu meriti Christi, ad vitam æternam ordinavit, quotquot præscivit hoc meritum vera, & non intermoritura fide apprehensuros^o.

XIII.

Dicitur decretum Dei, est enim voluntatis actus^o, quamvis includat, vel certè præsupponat etiam præscientiam, quæ actus intellectus est, sicuti quoq; providentia in communi utroq; hoc actu constat, formaliter tamen & quoad ultimum electionis actum voluntatis est, non intellectus actio.

XIV.

Ut autem rectius hoc intelligatur, ordo quidam divinorum actuum in prædestinationis negotio observandus est, non quod actus illi in Deo sint distincti, quippe qui

qui uno actu perfectissimo omnia in æternitate simul intuetur: respectu tamen objectorum in quæ feruntur distingui solent: ut enim unum objectum temporis ratione prius est alio, vel ab alio dependet, ita divinorum actuum aliis præcedere dicitur, alius subsequi,

XV.

Ita cum delictum poena sequatur, poenam misericordia, hanc incarnatio & meritum Christi, quod fides comprehendit, concipimus Deum Primo prævidisse Adami peccatum. Deinde decrevisse peccatum punire morte & æterna damnatione. Tertio, statuisse humani generis misereri, & à morte eripere. Hæc est gratia, misericordia seu Philantropia illa Dei, toties in Paulinis Epistolis inculcata. Quartò, ita tamen statuisse homini succurrere, ut nihilominus justitia & veritas ejus nullo modo violaretur, & ideo decrevisse unigenitum Filium suum mittere, qui assumpta carne, homo pro humano genere moreretur, justitiæq; DEI satisfaceret. Hoc est admirabile illud justitiae & misericordiæ DEI temperamentum, ubi altera ita exercetur, ut alteri tamen suus relinquatur locus. Quinto decrevisse, ut qui Filium & meritum ejus vera & ad finem duratura fide amplectentur, æternam mortem & damnationem evaderent, vitamq; æternam consequentur; cæteri in damnatione relinquenterentur. Hoc est propositum, beneplacitum & consilium voluntatis ejus, secundum quod in Christo electi dicimur, Eph. 1:5, & II: nam si in Christo electi sumus, ergo per fidem: nullum enim nobis cum Christo, nisi per fidem, est commercium. Sexto præscivisse, Qui in Christum ad vitæ usq; finem essent credituri, & qui in incredulitate decessuri. Hæc est divina illa præscientia juxta quam electos nos esse ait Apost. Petrus, I. Ep. c. 1:2. & Paulus, quos præscivit, eos prædestinavit.

Rom.

Rom. 8:2. *Septimò*, quos itaq; finaliter credituros prævidit, illos prædestinavit, sive ad vitam æternam elegit. Atq; hic actus formaliter est ipsum decretum prædestinationis, ad quem cæteri q. prævii sunt.

XVI.

Porrò cum actus prædestinationis voluntati tribuantur, de hac etiam nonnihil dicendum est. Et quamvis voluntas Dei, cum sit ipsa Dei essentia, una sit & simplicissima, tamen cum ad extra progreditur, distinctionem quan- dam admittit, non sui, sed objectorum ratione, sicut supra de actibus divinis dictum est.

XVII.

Et sic Primò voluntas Dei (sicut & potentia ejus) alia absoluta dicitur, alia conditionata. Ad absolutam pertinet illud, *Deus noster est in cœlo, omnia quæ voluit fecit*, vel ut Tremellius vertit, *quicquid placet facit*. *Pſ. 115: 2.* & illud: *voluntati ejus quis resistit?* *Rom. 9:19.* Unde Damasceni dictum.
OSA THELE I GINETAI, quæcunq; vult fūnt. Ad conditionatam pertinent: *que nolui elegerunt.* *Eſ. 65:12, & 66: 4.* item: *Deus vult omnes homines servari & ad cognitionem veritatis venire.* *1. Tim. 2:4.* &: *Deus non vult ullos perire, sed omnes ad recipiſcentiam tendere.* *2. Pet. 3: 9.* Et, *vivo ego, dixit Dominus Iehovah, si volo mortem impij, sed ut convertatur impius à viâ sua & vivat.* *Ez. 33: 11.* cum tamei non omnes servetur, sed multi pereant. Ita & illud *Hierusalem Hierusalem----- quoties volui congregare filios tuos----- & noluiſti.* *Matth. 23: 37.* Itaq; apparet, quomodo Deus vult omnium hominum salutem, non simpliciter scil. & absoluta voluntate, sed conditionata, h.e. si media salutis non neglexerint.

XVII.

Deinde, alia voluntas est Antecedens alia consequens,
illa

illa considerationem fidei vel incredulitatis præcedit, & ideo antecedens dicitur, hæc considerationem illam subsequitur, ideoq; consequens vocatur: illa media respicit prout à Deo omnibus offeruntur, hæc eadem media prout ab hominibus acceptantur: & ideo illa dicitur *dofin* i. e. donationem concernere, hæc *lepsin* seu acceptancem. Juxta illam itaq; vult omnes homines salvari, & ideo *universalis* dicitur, juxta hanc credentes tantum, quæ propter ea particularis appellatur: illa dicitur misericordiæ, hæc justitiæ vel judicii. Huc pertinent dicta illa scripturæ ad superiorem distinctionem notata, *1.Tim.2.*, *2.Pet.3.* *Matth. 23.* & *Ez.33.* Ad consequentem pertinent, *Marc. 16:16.* qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, qui verò non crediderit, condemnabitur. *Ioh.3:18.* Qui credit in eum non condemnatur, qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei. *Rom.9:18.* cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.

XIX.

Hæc distinctio, utut Calvinianis displicet, nova certè non est, sed sanctis etiam Patribus usitata, ut id ostendit Gerhardus in loco de Electione. Potest etiam similibus illustrari hoc modo.

Bonus Magistratus, antecedente voluntate cupit omnes subditos suos longo aëro felices frui; si verò qui sunt perduelles, patriæve proditores, hos consequente voluntate capitis suppicio affici cupit:

Præceptor omnes suos discipulos tantisper à se institui cupit dum frugi evadant, ex iis tamen quosdam ob facinus aliquod & flagitium excludit.

Hortulanus omnes arbores à se consitas vigere cupit, steriles verò excindit vel prorsus evellit.

Princeps Christianus si captivos ab imperatore Turcico persoluto lytro redemerit, serio vult ut omnes redempti libertati re-

*Rituantur, patrijsq; fruantur bonis, si vero quidam ex redemptis
redire noluerint, eos in captivitate perpetuo relinquit.*

Rex Matth. 22. ad filij nuptias, serio omnes invitat, contem-
ptores vero tandem excludit a nuptijs, & severissime punit.

Ita etiam Deus voluntate quidem antecedente seriō
vult omnium hominum salutem, omnibusq; salutis me-
dia offert; verum, si qui gratiam oblatam reiciunt Spi-
ritui Sancto resistunt, & consilium Dei adversus semet
iplos spernunt, eos consequente voluntate damnationi
vult relinquere. XX.

Itaq; ad concilianda scripturæ dicta apparerter con-
tradictoria notetur ex Meisnero in Antrop: Regula hæc
Theologica: *Quemadmodum voluntas consequens*
non tollit voluntatem antecedentem, ita scripturæ
dicta de voluntate consequente loquentia non
sunt opponenda ijs testimonij, quæ voluntatem
DEi antecedentem adstruunt. XXI.

Tertio distinguitur voluntas DEI in Absconditam
& Revelatam. Ad Absconditam DEI voluntatem refe-
runtur, 1. Ministerium Evangelij ante universalem præ-
dicationem, quippe quod à temporibus aeternis tacitum fuerat.
Rom. 16: 25. & ideo 1. Cor. 2: 7: vocatur sapientia Dei in Mysterio,
abscondita illa, quam præfinierat Deus ante secula, quam nemo
principum hujus seculi cognovit, &c: 2. Particularia Dei ju-
dicia circa speciales causas, quorum nos reddere rationem
nequimus, ut cur Deus hanc gentem uberiori dignetur.
gratia quam aliam: Cur Tyri & Sidone non tot fuerint
edita miracula, ut in Corazin: cur non tot Sodomæ, quam
Capernaumi: & in communi, cur Deus hoc modo & non
alio gubernet Ecclesiam & Politiam. Et talium confide-
ratio-

ratione exclamat Paulus, Rom. 11:13. O Profundas divitias tum
sapientia tum cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia ejus
et impervestigabiles viae ejus, quis enim cognovit mentem Domini?
aut quis ei fuit a consilio? Ad revelatam pertinet eadem.
Evangelica Doctrina, & quicquid nobis cognitu est ne-
cessarium ad salutem, circa quae nulla amplius est arcana.
Dei seu abscondita voluntas, cum Evangelium quod a tem-
poribus aeternis fuit tacitum, nunc factum sit manifestum, et
per scripturas apud omnes gentes declaratum, Rom. 16:26. & de
sapientia Dei in Mysterio & abscondita illa, 1. Cor. 2:7. ait
ibidem Paulus v.10. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum
suum, Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, &c:
Id etiam in actis idem Paulus testatur: non subtersugi, in-
quiens, quin annunciarer vobis omne consilium Dei, Cap. 20:27.

XXII.

Calvinus vero cum aseclis multo aliter hujus distin-
ctionis terminos interpretatur, & illam (absconditam)
vocabat alias voluntatem beneplaciti, hanc (revelatam) signi,
& quod ad voluntatem hanc signi dicit promissiones DEI
esse universales, quibus Deus exterius se declaret quod ve-
lit omnium hominum salutem, cum juxta absconditam
illam, longe diversam foveat sententiam. Juxta illos
itaq; voluntas revelata seu signi est exterior vox Dei, quae
svaviter sonat, vivo ego. Venite ad me omnes, &c: Abscon-
dita vero seu beneplaciti est interior sensus, qui horrendus
est, & terribilis: ibi se omnes amare dicit, hic plerosq;
redit: ibi omnes vocat, hic plerosq; rejicit. Sed quod Dei
voluntas circa Electionem & salutem nostram non sit ab-
scondita, satis scripturæ testimonia jam jam allata convin-
cunt. Unde si abscondita est, de salute certè non est, cum
omnia ad salutem pertinentia nobis in scripturis revela-

ta esse, ipsi etiam Calviniani contra Pontificios afferant. Deniq; si voluntas illa beneplaciti abscondita est & arcana, unde quæso eam cognoverunt Calviniani, cum eam tamen per omnes partes describere norint? non ex priori, *quis enim fuit ei à consilio?* Rom. 11:34. Ergo per revelationem: atq; sic quæ juxta illos est voluntas abscondita, etiam revelata est, i.e. non abscondita, quæ manifesta est contradic^{tio}.

XXIII.

Scholastici ex Magistri sui libro sent. i. dist. 45. quoq; hanc recipiunt distinctionem, sed longè alio sensu, ut voluntas *beneplaciti* secundum illos, sit propriè dicta voluntas, *signi* non nisi metaphorice, quod interius beneplacitum, exteriū notificet, quod quinq; modis fieri ajunt, quos modos hoc versiculo comprehendunt: *Precipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.* Quæ distinctio hoc modo accepta nihil ferè incommodi habet. Videatur si placet hac de re Greg. de Val. T. I. disp. I. q. 19. p. 2. & tantum de voluntatis distinctione, quæ accommodata ad rem præsentem ostendit per voluntatem, cuius in definitione mentio fit, non intelligi absolutam, cui nemo resistere potest, sed quæ conditionem admittit. Deinde non intelligitur antecedens voluntas, seu quæ considerationem conditio-*nis* præcedit, sed consequens. Et tertio deniq; hæc voluntas non est abscondita, sed in verbo revelata.

XXIV.

Progrediamur nunc ad sequentia definitionis verba & fundamenta seu causas salutis nostræ contemblemur, Tres a. ordine definitio nostra enumerat salutis causas, *Prima* est *Gratia Dei*, *Secunda Meritum Christi*, *Tertia fides* est, meritum illud apprehendens. Prima est *Principalis efficiens*, *Se-
cunda Meritoria*, *Tertia Instrumentalis*.

De

De Gratia itaq; primo agendum, notandumq; quid & quotuplex sit. Sciendum autem initio est omnem gratiam esse sua natura aliquid indebitum, seu quod in im-meritum conferatur, sicut & ipsa notio id involvit, & Apo-stolus testatur, Rom.11:6. *quod si per gratiam, jam non ex operibus aliqui gratia jam non est gratia.* Et juxta hanc notio-nem, vocabulum gratiae duob^o modis accipitur. Primo pro benevolentia Dei & gratuito ejus favore, quo nobis aliquid gratis confert. Secundò pro donis ipsis, que ex gratuito illo favore nobis communicantur, queq; ideo dona gratia dici conservaverunt. Utroq; modo vox gratiae vel late accipitur vel strictè. Latè gratia seu benevolentia Dei respicit omnes res à Deo depen-dentes: & sic etiam donum gratiae dici potest quicquid à gratuita liberalitate & munificentia Dei derivatur in crea-turas, quo sensu Hieronymus in Epist. ad Cyprian. dicit, *gratiae Dei esse quod homo sit creatus.* Et Constantinopolita-na synod^o III. quæ est. vi. Generalis, statuit Angelos & animas immortales esse, non natura (ut est ipse Deus) sed gratia, i.e. gra-tuito beneficio creatoris; verum hoc modo vocabulum gratiae hic non accipitur, sed strictè ac propriè prout gratia seu gratuitus Dei favor ordinatur ad dona supernaturalia, tendentia ad finem quoq; supernaturalem, qui est vita æterna. Et sic etiam dona gratiae propriè significant dona supernaturalia, non quæ naturæ beneficio obtainemus, nam utroq; hoc modo scriptura gratiae vocabulo passim utitur. Et primò quidem pro gratuito Dei favore Luc.1:30. ne timeas Maria, es enim in gratia apud Deum. Et Rom.3:24. *Iustificantur autem gratis, ejus gratia, & alibi in Paulinis Epi-stolis passim.* Deinde pro donis gratuitis, Rom.12:3. nam per gratiam qua mihi data est, &c: & v. 6. habentes autem di-

versa dona pro gratia quæ nobis data est. Ultraq; acceptio oecurrit. 1. Cor. 15:10. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me non fuit inanis, nam amplius laboravi, quam illi omnes, non ego tamen, sed gratia Dei quæ mecum est.

XXVI.

Chemniti^o in loco de Lib: Arb: ex Augustino quinq;
ponit gradus gratiæ PRIMUM facit gratiæ prævenientis, SE-
CUNDUM præparantis, TERTIUM operantis, QUARTUM
cooperantis, subsequentis & Adjuvantis, QUINTUM Perseveran-
tiæ, quos hic enumerasse sufficiat, hæc & aliæ distinctiones
gratiæ videantur apud Gr. de Valentia T.2.d.8.q.3.

XXVII.

Cum jam dicimus prædestinationem factam esse ex gratiâ, quæritur quidnam per gratiam hic intelligatur.. Pontificij dicunt nos per gratiam nobis inhærentem, i.e. per donum gratiæ prædestinari, in cuius tamen interpre-
tatione neq; ipsi inter se consentiunt, ut videre est apud
citatum jam authorem Greg. de Val.

Nos per gratiam hîc loci non intelligimus aliam, quam Gratuitum Dei favorem, & statuimus quod tota
prædestination facta sit ex mera gratia, h.e. mero gratuito
DEI favore, quo ad omnes effectus suos.

XXVIII.

Sunt autem Effectus prædestinationis in primis duo,
Gratia & Gloria. Gratia tria potissimum complectitur,
Vocationem, Justificationem & Renovationem vitæ, i.e.
Sanctificationem, fit itaq; ut quatvor in universum sint
prædestinationis effectus, vocatio ad fidem, justificatio
per fidem, renovatio quæ fidem consequitur, & fidei finis
Gloria ipsa.

Ad Vocationem p̄tinet etiam interna verbi efficacia,
seu

seu motio interna, quæ gratia excitans seu præveniens appellatur, item argumenta inducentia, quæ interiori motioni exteriùs subserviunt.

Secundus effectus est justificatio ipsa, cum enim quis motus gratia Dei præveniente poenitentiam agit, & credit Evangelio, jam justificatur per fidem illam, i.e. remittuntur ei peccata, imputatur justitia Christi, & hereditas ascribitur vitæ æternæ.

Tertius effectus est Renovatio seu Sanctificatio, eodem enim momento, quo homo justificatur, & in filium Dei adopatur, spiritum adoptionis accipit, qui animum ejus immutat, sanctitateq; & justitia imbuit, & hi sunt effectus prædestinationis ad gratiam.

Quartus effectus est ipsa Gloria seu vitæ æternæ consecratio, prædestinationi ita proprius, ut in non prædestinatos omnino non cadat. Hosce effectus in Epist: ad Rom. 8:30. Paulus enumerat. *Quos, inquit, prædestinavit, eos vocavit, quos vocavit, eos justificavit, quos autem justificavit, eos et glorificavit*, ubi Renovationem sub Justificatione (quam necessariò comitatur) comprehendit. Expressè autem Renovationem etiam effectum prædestinationis facit, Eph. 2.4. *Sicut, inquit, elegit nos in ipso ante quam jacentur fundamenta mundi, ut essemus sancti et inculpati per Charitatem.* Et quamvis vocatio ad omnes omnino homines, Justificatio & Renovatio ad plures quoq; extendantur, quam qui salvantur, non tamen sic prædestinationis sunt effecta, sed communis tantum providentia.

XXIX.

Quod autem omnes hi effectus sint ex mera gratia, i.e. ex gratuito Dei favore, id nunc de singulis ex scripturali locis est probandum. Et de vocatione quidem ait Apo-

Apostol: 2. Tim. 1:9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione san-
cta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, que
data quidem est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia.*
De justificatione verò Rom. 3:24. *justificantur gratis, ejus gra-
tiā per redemptionem factam in Christo Iesu.* Idem de San-
ctificatione ostendit. Tit. 3: 4. *Ex sua misericordia servavit
nos per lavacrum regenerationis & renovationis Sp. Sancti. De
gloriā deniq; Rom. 6. ult. stipendum, inquit, peccati mors est,
donum autem Dei vita aeterna.*

XXX.

Pontificij hic eatenus nobiscum consentiunt, quod
dicant prædestinationem ad gratiam esse merè gratuitam,
cum gratia excitans & gratia operans seu justificans, ex
nullis præcedentibus meritis, sed omnino gratis detur.;
Prædestinationem verò ad gloriam ex prævisis meritis
factam esse ajunt, sicuti vitam aeternam in tempore ex me-
ritis & propter merita dari contendunt.

Nos autem etsi studium pietatis & bonorum ope-
rum, ab adultis omnino requiri doceamus, ita ut *sine san-
ctimonia nemo visurus sit Deum. Heb. 12:14.* Tamen bona o-
pera ullo modo meritoria esse vitæ aeternæ, id verò perne-
gam. Concedimus autem studium pietatis & bonorum
operum esse conditionem quandam, ad hereditatem
vitæ aeternæ consequendam omnibus adultis necessariam,
sicut prædestinatio ad gratiam quoq; non sine conditione
facta est, nempe si gratiam oblatam quis recipiat & admit-
tat, & tamen hanc gratuitam prorsus esse ipsi etiam adver-
sarij fatentur..

XXXI.

Ex his etiam constat, quomodo hic Calvinianis quo-
què sit occurrentum, nam etsi prædestinatio tam ad glo-
riam quam ad gratiam prorsus gratuita est, h.e. non facta
ex prævisis meritis: non tamen sequitur absolute factam
esse,

esse, sed cum respectu fidei. Et tantum de Gratia quæ est causa efficiens prædestinationis principalis'.

XXXII.

Sequitur ut de secunda causa prædestinationis paucis agamus, quæ est *meritum Christi*, ubi duo sunt ostendenda, 1. Quod meritum Christi sit universale, 2. Quod hoc meritum etiam prædestinationis decreto includatur. Quoad prius, duas ponimus contra Calvinianos assertiones, 1. Quod Christus morte sua omnes redemit, 2. Quod meritum Christi & parta per meritum illud salus omnibus promittatur & offeratur, adeoq; omnes ad pœnitentiam vocentur: nam utriq; huic assertioni è diametro contradicit cum sectatoribus Calvinus':

XXXIII.

Nos verò ad confirmationem primæ nostræ assertio-
nis opponimus Calvinianis scripturæ loca, 1. quæ testan-
tur Christum suscepisse in se omnium peccata, *Ioh. 1: 29.*
Ecce agnus Dei qui tollit, h.e. (interprete Brentio in Joha-
nem) qui suscipit in se, qui fert, qui portat, qui sustinet
peccatum mundi. *Ez. 53:6.* *omnes nos sicut oves erravimus, unus*
quisq; in viam suam declinavit, & Dominus conjectit in eum iniqui-
tatem omnium nostrum. Et hūc etiam facit typus hirci emis-
farij, cui imponebantur omnes iniquitates filiorum Israel, & omnes
prævaricationes eorum, cum omnibus peccatis eorum; *Lev. 16:21.*
2. Quæ docent Christum pro omnib⁹ traditum & mortuum
esse, adeoq; pro omnibus satisfecisse, *Rom. 8:32.* Deus pro-
prio filio non pepercit sed tradidit eum pro nobis omnibus. 2. *Cor. 5:*
15. Christus pro omnibus mortuus est. 1. *Tim. 2:6.* Christus Je-
sus dedit se ipsum in redemptionis precium pro omnibus. Et cap. 4:
10. *Est servator omnium hominum, maximè verò fidelium.*
3. Quæ testantur missionem Filii ejusq; meritum ad to-
tum mundum attinere. *Ioh. 3:16.* *Sic Deus dilexit mundum, ut*
Filium suum unigenitum daret &c. Confer cap. 4:23. & 6:5. &
12:47. In his & similibus locis Apost. Johannes per mun-
dum

dum non solos fideles & electos intelligit, ut impiè rhetorican tur Calviniani, sed infideles etiam & reprobos, adeoq; omnes omnino homines, sicut in I. ep. cap. 2: 2. idem ille Apostolus utrosq; exprimit, ipse, inquit, JESUS Christus, propitiatio est pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam totius mundi.

4. Deniq; afferimus scripturæ loca, quæ expressè testantur Christum pro iis etiam mortuum esse, qui pereunt, vel certè perire possunt, imò qui Filium DEI conculcāt, h.e. in Sp. Sanctum peccant. Rom: 14: 15. Ne esca tua illum per das, pro quo Christus est mortuus. I. Cor. 8: 11. Et tua illa scientia peribit frater qui infirmus est, propter quem Christus est mortuus. 2. Pet. 2: 1. etiam Dominum, qui illos mercatus est abnegantes, ac cersentes sibi ipsis celerem interitum. Heb. 10: 29. quanto putatis acerbiore supplicio dignus censembitur, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem fæderis, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit. Atq; hoc modo prima assertio probatur.

XXXIV.

Secundam etiam assertionem hoc modo probamus. Primò quia ipse Christus ad se omnes peccatores invitatur. Matth. 11: 28. Deinde, quia Evangelium jubet prædicari omnī creature, Mar. 16: 15. i.e. ut Lucas interpretatur, omnib⁹ gentibus, et Luc. 24: 46. ait Salvator: ita oportuit Christum pati et resurgere à mortuis, et prædicari in nomine ejus recipientiam et remissionem peccatorum apud omnes gentes. Et Paulus Act. 17: 20. Deus, inquit, annunciat omnibus ubiq; hominibus ut recipiant. Et Coll. 1: 28. Quem nos (ministri Ecclesiæ) annunciamus, admonentes omnem hominem, et erudiantes omnem hominem, omni sapientia, ut praestemus omnem hominem perfectum in Christo IESU. Confer locum Psalmi 19: 5. in omnem terram exivit linea eorum, et in extreum orbis eloquentia eorum, quod Paulus ad universalem vocationem applicat, Rom 10: 18. Deniq; iiquo quæ

quæ expresse vocantur, qui venire nolunt, *Ez. 65:2.* *Expanda manus meas tota die ad populum perversum,* &c. *Prov. 1:20.* *Vocavi & renuiſtiſ, &c.* Judæis primum annuciabatur verbum Dei, sed abegerant illud, *Act. 13:46.* *Spiritu Sancto restituerunt,* *Act. 7:51.* & *consilium Dei rejecerunt adversus ſemet ipſos.* *Luc. 7:30.* Atq; hactenus ostendimus meritum Chrifti eſſe universale.

XXXV.

Nunc alterum quoq; ostendendum eſt, quod ſciſ. meritum hoc decreto prædestinationis includatur, h. e. quod decretum prædestinationis factum fit intuitu meriti Chrifti: nam huic assertioni itidem cum ſuis contradicit Calvinus, docens prædestinationem absolute factam eſſe.

XXXVI.

Sed cum meritum hoc Chrifti cuius intuitu prædestinationem factam eſſe diximus, tam arētē cum fide conneſtatur, ut nec meritum illud, utut in ſe ſufficiens, nobis tamen quicquam proſit, niſi fide apprehendatur, nec ſalvifica fides eſſe poſſit, niſi quaꝝ meritum illud apprehendat, & propterea neutrū ſeorsim, ſed utrumq; coniunctim, in prædestinationis decreto ſpectetur: ideo brevitatis cauſa, utrumq; hunc respectum unā contra Calvinianos aſsertione comprehendimus, quod ſciſ. prædestinatio facta fit intuitu meriti Chrifti, fide apprehensiſ, ſive intuitu fidei meritum Chrifti apprehendentiſ. Idq; probamus, i. Ex genuina hujus articuli ſede, *Eph. 1. cap. v. 4.* elegit nos in ipſo, i.e. Chriſto &c. confer verſum 5. & ſeqq. 2. Quia prædestinatio facta eſt ſecundum præſcientiam, *Rō. 8:32.* & *I.P.1:2.* At præſciētia respicit fidem & meritum Chrifti. 3. Quia prædestinatio conuenit cum ipſa exſecutione, ſanctificatione ſc. & ſalvatione. Sicut itaq; Deus in tempore nos justificat & ſalvat, ita ab æterno nos justificare & ſalvare decrevit: aliaſ enim, ſi videlicet aliter ab æterno decreverit, & aliter in

tempore agat, vel mutabilis esset vel impotens, quorum utrumq; & impium est & absurdum; sed in tempore nos justificat & salvat, habita ratione fidei, meritum Christi apprehendentis, quod ipsi non negant Calviniani. Ergo habita ratione fidei meritum Christi apprehendentis ab æterno nos justificare & salvare decrevit, h.e. prædestinavit.

XXXVII.

Ex his quæ dicta sunt etiam novus Huberi error, quo universalis electio statuitur, confutari potest: nam si prædestinati sumus in Christo, secundum consilium & præscientiam Dei, ut scriptura conceptis verbis testatur, ergo non omnes sunt prædestinati, cum omnes in Christo non sint, nec omnes consilio Dei obtemperent, & ideo nec Deus præsci-
verit qd omnes in Christum sint credituri. Adde quod Christus expressè doceat multos vocatos esse sed paucos electos,
Matth. 20:16. & 22:14. XXXVIII.

Ex supra dictis hæc quoq; porismata eruimus, quæ huic disputationi COROLLARII loco apponimus.

1. Certam & infallibilem esse prædestinationem.
2. Certum esse numerum prædestinatorum.
3. Eos qui libro vita æternæ semel sunt inscripti, inde deleri non posse.
4. Prædestinationem tamen nullam necessitatem inferre actibus nostris.

